sacerdos. qui patri iure successerit. Ille enim sacerdos patri
iure succedit. qui esse se compatris domini filium moribus demonstrat. atque
a nobilitate intima. operum suorum ignobilitate non discrepat. Que
in altari tota cremari praecipitur. ut uidelicet holocaustum fiat.
Holocaustum enim totum incensum dicimus. Unde et in translatio
ne altera. hoc in loco hec eadem simila que in sartagine frigitur.
holocaustum fieri iubetur. Hoc autem inter holocaustum et sacrificium
distat. quia omne quidem holocaustum sacrificium est. non omne sacrifi
cium holocaustum. Sunt enim multa bona que agunt sacrificia.
sed holocausta non sunt. quia totam mentem amore spiritali minime
accendunt. Qui enim sic operantur ea que dei sunt. ut tamen et quedam
que sunt seculi non relinquant. nimirum sacrificium et non holocaustum
offerunt. Qui autem cuncta que mundi sunt deserunt. et tota mente
igne diuini amoris accendunt. hi nimirum omnipotenti domino sacrificium
et holocaustum fiunt. Simila itaque in sartagine est munda mens
iusti in zeli spiritalis afflictione. que pro sollicitudine animarum
frigitur. et non solum sacrificium sed etiam holocaustum domino esse deputatur.
Sumamus ergo sartaginem ferream et ponamus eam murum ferreum inter
nos et ciuitatem. id est assumamus zeli fortem. ut inter nos et auditoris
nostri animam inueniamus hunc postmodum fortem munitionem. Tunc enim
hunc murum ferreum inuenturi sumus. si nunc eam fortiter tenemus. uideli
cet docendo. custodiendo. suadendo. increpando. mulcendo. ter
rendo. aliquando leniter. aliquando uero cum seueritate agendo.
De qua seueritate recte subditur. Et obfirmabis faciem tuam ad eam.
et erit in obsidione. Quid est obfirmare faciem ad hierusalem in la
tere descriptam. nisi ut ei animae cum celestis pacis uisione doctor

holocaustum.

Nota Differentia holocausti et sacrificii.

Sacrificium.

holocaustum.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0216